Primo debemꝰ ſpūalit̄ eſurire xp̄m
ardenꝰ deſiderando· Job· 31· ſi non
dixerunt viri tabernaculi mei· quis
det ut de carnibus eiꝰ ſaturemur·
quaſi optabant et deſiderabant ſa=
turari· eccle· 30· qui edunt me adhuc
eſurient· gregoriꝰ in delicijs carnis
appetitus placet· experientia diſpli=
cet qr q̊ mag̊ ſentit̄· ꝙ eaꝝ ſaturitas
mētē nō replet ſʒ cruciat· eo magis

cognoſcit ꝙ faſtidiatur·in ſpiritua
libꝰ delicijs ſaturitas appetitū patit
quia quāto magis eaꝝ ſapor perci=
pitur.eo ampliꝰ cognoſcitur ꝙ aui=
dius ametur·yſa·xxvi·dn̄e nomen
tuum et memoriale tuū in deſiderio
anime·anima mea deſiderabit te in
nocte ſcilicet aduerſitatis· p̄s dn̄e
ante te omne deſideriū meū ⁊ gemi=
tus meus· Secundo debemꝰ ſpi=
ritualit̄ maſticare totū xpiſt·i· ſcȝ
membra et caput.id eſt nos ip̄os et
ſanctos dei et ſaluatorē mundi diſ=
creta diſcuſſione cogitare nos ip̄os
diiudicando·ſanctoꝝ vitam ad imi=
tandum ꝑtractando·et incarnacōis
beneficium deuote mente ruminādo·
Primo ꝑfecti maſticant ſeip̄os di=
ligenter ſe examinādo·i·coꝝ·xi·ꝓ=
bet autē ſeip̄m homo et ſic de corpo=
re vel de pane illo edat·p̄mo probet
id eſt examinet et purget ſeipſum
totum ſcilicet cor·linguam·manum.
⁊cetera·et ſic poſtea edat· Job·xiij·
Quare lacero carnes meas dentibꝰ
meis·et animā meam porto in ma=
nibꝰ meis·ut ſcilȝ ſpiritualit̄ maſ=
ticem diiudicando peccata carnis et
ſpiritus· Secūdo perfecti maſticant
ſanctos mortuos et beatos adhuc
viuentes vitam eoꝝ ad imitandum
conſiderando·math̄·xxij·ecce pran=
dium meū paraui·thauri mei et al=
tilia occiſa ſunt· venite cōmedite·
thauri prophete et apoſtoli ſunt·
qui fortitudine fidei quaſi cornu prĩ=
cipibus mundi reſtiterunt·et ab eis
paſſi virtutū exempla nobis reliq̄=
rūt·altilia ab alendo dicta pinguia
ſunt volatilia·⁊ ſignificant ſanctos

interna caritate ſaginatos.et con=
templacōnis p̄na ſuperna petentes
occiſa ſunt vel ab eo ꝙ fuerunt per
penitentiā.vel per mortem carnis
iam in requie poſita·hec nobis ſūt
ſpiritualiter maſticanda·id eſt ad i=
mitandū diligenter conſideranda.
deutro.xiiij·omne ꝙ mundū eſt cō
medite· quicquid morticinū eſt ne
veſcamini ex eo.omne mūdū id eſt
honeſtis verbis.operibꝰ et moribꝰ
ꝯmedite· in corde ponite ad imitan=
dum.quod morticinū eſt·id eſt pec=
cato cōtaminatū ne veſcamini ex eo
ꝯſentiendo.vel idem faciendo·phil̄·
iiij· De cetero fratres quecūqȝ ſunt
vera.quecūqȝ pudica·quecūqȝ iuſta
quecūqȝ ſancta·quecūqȝ amabilia.
quecūqȝ bone fame·ſi qua virtus·
ſi qua laus diſcipline.hec cogitate
que audiſtis vel vidiſtis in me·hec
omnia agite· et deus pacis erit vo=
biſcum· Tercō perfecti maſticant
ſpiritualiter carnem xpiſti ſcilicet
incarnacōnis eius ſacramenta ⁊ be=
neficia deuote meditando· Jo·vi·q̄
manducat carnem meam et bibit
ſanguinem meū habet vitā eternā·
qui manducat vel ſpiritualit̄ bene
maſticat· auguſtinꝰ hoc pertinet
ad virtutem ſacramenti·non ad vi=
ſibile ſacramentum·quaſi diceret·
mānducat intus non foris· qui mā=
ducat mente·non qui premit dente
et hoc eſt ꝙ apoſtolus vigilanter
dicit tantū de bonis·omnes eandem
eſcam ſpiritualem manducauerūt.
ſic manducauit et maſticauit xp̄m
apoſtolus·unde·i·thimo·iij·magnū
pietatis ſacramentū ꝙ manifeſtatū

eſt in carne· iuſtificatum eſt in ſpi-
ritu·id eſt xpriſtus iuſtus oſtenſus
eſt·quia de ſpiritu ſancto concept9.
apparuit angelis· predicatū eſt gē-
tibus·creditum eſt mundo· ut tantū
beneficiū carent ſoluere deo· aſſūp-
tum eſt in gloria.eccle·i·oritur ſol et
occidit· id eſt xpriſtus in ſua nati-
uitate oritur et occidit in paſſione·
et ad locum ſuum reuertitur·id eſt
ad ſepulchꝝ terre· Ibiqꝫ reuiuiſcēs
in reſurrectione.girat per meredie͂
in aſcenſione · et flectitur ad aqui-
lonem·luſtrans cuncta per circuitū
in extremi iudicij diſcuſſione. Ter-
cio debemus in ſpirituali manduca-
cōne delectari in trina dulcedine q̄
elicitur de predicti xpriſti maſtica-
cōne·pſa·lv· audientes audite me
et ꝯmedite bonum· et delectabitur
in craſſitudine anima noſtra·id eſt
dulcedine ſpiritualiꝰ gratie·ſap̄·viij·
intrans in domum meam cōquieſ-
cam cum dei ſapientia· id eſt cum
xpriſto qui eſt ſapida eſſentia·non
enim habet amaritudinem cōuer-
ſacō illius·nec tedium cōuictus illi9
ſed letitiam et gaudium·et in ami-
citia illius delectacō bona.pſal·quā
magna multitudo dulcedinis tue
domine.quā abſcondiſti timentib9
te· Idem guſtate et videte quoniam
ſuauis eſt domin9·cant·iiij·mel et
lac ſub lingua tua· id ē dulcedo ſpi-
ritualis in meditacōne cordis · Hec
dulcedo quedam eſt p̄guſtacō regni
celeſtis valens xpriſtiano ꝯtra tria
mala que ſunt in mundo· Ibi enim
falſa dulcedo in delectabilib9 uten-
dis. grandis amaritudo in aduerſis
ſuſtinendis·triſtis ymago in bonis
faciēdis· De p̄mo· pū·ix·aque fur-
tiue dulciores ſunt·et panis abſcō-
ditus ſuauior.ſed hec falſa eſt dul-
cedo·quia anime pdicō· Iob·xxiij·
dulcedo illi9 vermes·eccle·ix·ſicut
piſces hamo capiunꝰ homines tpe
malo·eſca foris delectat·ſed acule9
intus perforat· Iob·xxi·ducunt in
bonis dies ſuos et in puncto ad in-
ferna deſcendunt. De ſcdo· p̄s hoc
mare magnū et ſpatioſum manib9
qꝛ ſcꝫ in hoc mūdo magna ē et multa
amaritudo· Iē·ix·cibabo pplm̄ iſtū
abſintheo ꝯ potū dabo eis aquā fel-
lꝰ· Iob.xiij·hō nat9 de muliere bre
viuēs tpe r̄pletꝰ multis miſerijs·p̄s
multe t̄bulacōnes iuſtoꝝ· De tercio
math·x·dixit dn̄s cuidā diuiti· vade
et q̄cūqꝫ habes vende et da pauperi-
b9 ·et habebis thezauros in celo.et
ſequere me.quia ꝯtriſtatus in verbo
abijt merens·i·re·xxv.dixerūt pu-
eri dauid ad nabal·q̊dcūqꝫ inuene-
rit man9 tua da pueris tuis et ſer-
uo tuo dauid. qui reſpondit· tollā
panes meos et aquas et carnes et
dabo viris quos neſcio unde ſint·
geñ·iiij·factum eſt poſt multos dies
ut offerret cayn de fructib9 t̄re mu-
nera domino·et non reſpexit domi-
n9 ad eū nec ad munera eius·huiꝰ
cauſa fuit qꝛ male obtulit ſcꝫ de t̄ſti
corde et facie. Contra hec valet ſpi-
ritualꝰ dulcedo qꝛ falſam mūdi dul-
cedinē facit inſipidā.grandē ama-
ritudinē facit dulcem.triſtem yma-
ginē reddit iocundā· De p̄mo·pū·
27·aia ſaturata calcabit fauū·g̊g·
guſtato ſpū deſipit oīs caro·phil·3·

Que michi fuerũt lucra arbitratus
ſum ꝓpter xpiſtũ detrimenta· ꝓpt
quem omnia arbitror ut ſtercora
De auguſtino dicit̃· diſplicebat ei
quicquid agebat in ſeculo pre dul=
cedine dei· De ſecundo· deutro· 33·
inundacões maris quaſi lac ſugẽt
id eſt boni repleti dulcedine ſpiritu=
ali vincũt amaritudinẽ mundi· iiij·
re· v· heliſeus miſit ſal in aquas a=
maras que in dulces verſe ſunt. ſic
xpiſt⁹ ſapore ſpirituali ſanat ama=
ritudinem mundi. hinc ſtephanus
lapides torrentes dulces fuere· et
multis ſanctis ardentes prune· cã=
dentes teſte· viſe ſunt ſuaues tamq̃
roſe· hinc multi boni gaudent in tri=
bulacõne. De tercõ· dañ· i· poſt dies
decem apparuerunt vultus eoꝝ me=
liores pre omnib⁹ pueris que veſce=
bant̃ cibo regio· vultus eoꝝ quos
panis ſaciauit qui de celo deſcendit
dicit gloſa. apparuerunt meliores
decore ſcz et hylaritate ad bene faci=
endum· pũ· xv· cor gaudens exhila=
rat faciem· ij· coꝝ· ix· hylarem datorẽ
diligit deus. Tercium circa ſpi=
ritualem manducacõnem notandũ
eſt effectus hui⁹ manducacõnis· et
hic eſt triplex· ſcz peccatoꝝ remiſſio
ab eterna morte ſaluacõ· vera corpo=
ris xpiſti ad ſalutem eternam pti=
cipacõ· etiam ſi caſu decedatur ſine
ſacramento· De p̃mo panem noſtrũ
cottidianum id eſt cibum ſpiritualẽ
da nobis hodie ⁊ dimitte nobis de=
bita noſtra· ambro· qui manducant
ſpiritualit̃ virtutem carnis ⁊ ſang=
uinis xpiſti dicunt̃ ſumere et vere
manducare· quia ipſam corporis xpi
efficienciam cottidie ſumunt id eſt
remiſſionem peccatoꝝ· De ſecundo
Jo· vi· hic eſt panis qui de celo deſ=
cendit ut ſi quis ex ipõ manduca=
uerit ſcilicet ſpiritualit̃· non moriat̃
ſcilicet morte eterna· auguſtin⁹ ſup
apoſtolũ. patres noſtri eandem eſcã
ſpiritualem manducauerunt· quã
et nos corporalem non alteram id
eſt manna qd̓ ſignificat xpiſtũ· et
idem credentib⁹ effecit· Alij vero qui
non crediderũt manducauerunt et
mortui ſunt eternaliter· q̃ nõ moy=
ſes et alij boni. Quare? quia cibum
inuiſibilem ſpiritualit̃ intellexerũt·
ſpiritualiter eſurierũt· ſpiritualiter
guſtauerũt· ut ſpiritualiter ſana=
rentur ſcilicet ab eterna morte· ſi=
militer et nos ſpiritualit̃ mandu=
cando ab eterna morte liberamur·
De tercõ ſup illud· i· coꝝ· x· vn⁹ pa=
nis et vnũ corp⁹ multi ſum⁹ qui de
vno pane participam⁹· dicit aug⁹
nulli dubium eſt tũc quẽqz corporis
ſang̃niſqz dñici pticipem fieri. qñ
membrũ xpi efficit̃· nec alienari ab
illi⁹ panis calicíſqz conſortio· etiã ſi
añq̃ illũ panẽ edat de hoc ſeculo in
vnitate corpis xpi cõſtitutus abſce=
dat· q̃ illi⁹ ſacramẽti beneficio non
p̃uat̃ quando in illo hoc q̃ ſacramẽ=
tum ſignificat inuenit̃· Inuenitur
autẽ hoc q̃ ſacramentum ſignificat
quando membrũ xpiſti efficitur· et
hoc efficit̃ qñ credẽdo ⁊ amãdo ſpũ=
alit̃ mãducat· q̃ ſic in corp⁹ xpi vere
ꝯuꝯit̃· ut cũ ipõ eẽnalit̃ viuat· amẽ.

De t̃tio q̃re indigne ꝯmuĩcãtiũ ſcz
de pſũptuoſis· the· ꝓpriu· ꝓ· xviij·

Venite ꝯmedite panē meū
⁊c̄. ut ſupra. Item quicūqꝫ
manducauerit hunc panē
⁊c̄. De tercīo genere maloꝝ indigne
ꝯmunicantiū eſt hic dicendū id eſt
de p̄ſumptuoſis. qui ſcꝫ non timent
ꝯmunicare vel celebrare in magnis
criminibꝰ et manifeſtis. De hys. i.
coꝝ. xi. qui mādu cat et bibit indig=
ne iuditium ſibi manducat et bibit
id eſt valde malum eſt illi. vnde ſci=
endum ꝙ duplex eſt effectus corpo=
ris domini ſcilicet bonitatis quo ad
bonos. et ſeueritatis quo ad malos
et tamen ip̄m ſemper inmutabile et
bonum in ſe manet. ſed iuſto iudi=
cio effectus eiꝰ mutatur in hys qui
eo male vtuntur. augꝰ ſancti malis
poſſunt obeſſe. quia qui manducat
corpus xpiſti indigne iuditium ſibi
manducat et bibit. non ꝙ res illa
mala ſit. ſed quia malus ꝙ bonum
eſt male accepit. huiꝰ rei exemplū
euidens eſt in ſole et in vino. Nam
eandem ſolis lucem ꝙ ſanus oculꝰ
ad delectacōnem. eger ſuſcipit ad
ꝑturbacōnem. et vinum ꝙ ſanus
homo ad iocunditatē et cōfortacōē ꝫ.
febricitās accipit ad maiorem infir=
mitatem. vel forte ad mortem. hinc
eſt ꝙ indigne cōmunicantes tria
mala ſequnt᷑. ſcꝫ magna culpa. dei
offenſa et multiplex plaga. Primū
malum p̄ſumptuoſe ꝯmunicantiū
eſt magna culpa. Iere. xi. nūquid
carnes ſancte auferent a te mali ti=
as tuas quibꝰ gloriata es. yſidorꝰ
qui ſcelerate viuūt in eccleſia et cō=
municare nō deſinūt putantes tali
ꝯmunione mundari. diſtant nil ad

emūdacōem ꝓficē ſibi dicēte ꝓpħa.
quid ē ꝙ dilectꝰ meꝰ in domo mea
facit ſcelera multa. nūquid carnes
ſancte auferent a te malitias tuas.
q̄ſi dicēt nō auferūt ꝫ augmentant.
huiꝰ culpe t̄plex ē racō ſcꝫ ꝑuſa intē=
cō. diuini p̄cepti tr̄ſgreſſio. maxima
ingratitudo. Prima racō culpe p̄ſūp=
tuoſe ꝯmuicantiū ē ꝑuerſa intencō.
actionis eñ voluntarie t̄plex ē radix
ſiue pr̄cipiū vel natura. vel virtus
vel libido mala eſt. ſed eiꝰ qui eſt in
peccato mortali ſcient᷑ et ſumit cor=
pus xp̄i non poteſt eſſe radix. natūa
vel virtus. quia neqꝫ natura neqꝫ
virtus aliquo mō dictaret. ꝙ aliq̄s
rem tā p̄cioſam. tā venerandā in lo=
co vel vaſe inmūdo ponēt. vn̄ pc̄tor
qui corpꝰ xp̄i ſumēs ponit in ore ſuo
polluto et corpore. radix nō ē vel vir=
tus. ſed libido id ē praua intencō vel
lucri t̄palis. vel vane laudis. vel ali=
cuiꝰ decepcōnis. Scd̄a ratio culpe
iſtoꝝ ē diuini p̄cepti tr̄ſgreſſio. ſicut
eñ dn̄s in ſtatu innocētie lignū vite
ad edendū cōceſſit. et in ſtatu culpe
ꝓhibuit. ſic nob̄ in ſtatu bono corpꝰ
xp̄i ꝯcedit᷑ et in malo ꝓhibet᷑. math.
vi. nolite ſcm̄ dare canibꝰ. i. imūdis
pc̄oribꝰ. leui. xxi. homo q̄ habuerit
maculā ſcꝫ pc̄ti nō offerat panes deo
ſuo nec accedat ad miniſteriū eius.
Tercia rō culpe iſtoꝝ ē maxima in=
g̃titudo. que eñ p̄t eē maior. ꝙ ſi q̄s
habēs dn̄m a q̄ accepiſſet q̄cq̄d boni
haberet. et ip̄m inſup morte ſua de
ſuſpēdio eē no liberaſſet. eundē dn̄m
in ſtabulū inmūdiſſimū inimica ſui
tradicōſe ducēt. ⁊ ibi ꝯculcarꝫ ⁊ rur=
ſū occidēt. tāta ing̃titudine peccant

qui corpus domini ſumunt in peccā⸗
to mortali· p̄s retribuebant mala
pro bonis· et odiū ꝓ dilectione mea
et cōculcauerūt me inimici mei tota
die· heb· x· quanta putatis mereri
ſupplicia qui filium dei cōculcauerit
et ſanguinem teſtamenti pollutum
duxerit in quo ſanctificatus eſt ſcꝫ
in morte xp̄i· ambro xpriſtū ille con⸗
culcat qui libere peccat abſqꝫ timore
et penitencia et qui eo indigne ꝑtici⸗
pat. Idē qui indigne xp̄m ſumit· idē
eſt ac ſi interficiat· aug9 ꝙ temerariū
ꝙꝫ nephariū eſt cruentis manib9
intemerate virginis tractare filiū·
q̄s auditus ſuſtinet aurīū· q̄s ocul9
nō ꝯfunderet ad intuitū· q̄ mens nō
caperet in exceſſum· vbi nudi p̄rum
mittit in ſterquiliniū· nō eñ min9 ē
deteſtabile in os pollutū ꝙ in lutum
mittere dei filiū· ¶ Scdm malum
iſtoꝝ eſt magna offenſa dei· zach· i·
ira magna ego iraſcor ſup gentes
opulentas· quia ego iratus ſū paꝝ xp̄i
vero adiuuerūt· q̄ſi diceret dñs· q̄ſi
parū iraſcor hoīb9 ꝗ̄ peccā que cō⸗
mittūt in ꝓximū· ſed maxime ꝓ eo
ꝙ peccāt in dñm· i· re· ij· ſi peccauerit
vir in viꝝ placari ei p̄t deus· ſi autē
in deū quis orabit ꝓ eo· gloſa quāto
maior gloria tua· tanto ḡuior offēſa·
mal· i· ad vos o ſacerdotes qui de⸗
ſpicitis nomen meū et offertis ſup
altare meū panem pollutū· glō cor
ripit ſmo diuin9 ep̄os et miniſtros
eccleſie negligentes et omēs q̄ xp̄i
nomine cenſent· cur nomen ei9 de⸗
ſpiciant· quib9 aperit cauſas offenſe
ꝙ panē pollutū offerūt· polluit eñ
panem id eſt corp9 xp̄i qui indign9
accedit ad altare et menſam dñi· ſi
non ſcelerata voce ſcelerato opere
deſpiciunt. et dum ſacramentū vio⸗
latur ipe cui9 eſt ſacramentū violat̄
¶ Terciū malū iſtoꝝ ē multiplex
plaga· et grauis ex iuſta dei vindcā
ſic eñ ab antiquo filijs iſrahel max⸗
imū erat peccatū· et peſſimaꝝ cauſa
maledictionū ꝙ ꝑ ydolatriā deū pro⸗
iecerunt· et poſtea iudeis impijs ꝙ
xp̄m nō ſuſceperūt· ſic modo xp̄ia⸗
nis maximū ē peccatū et cauſa pla⸗
garū ꝙ corpus ſaluatoris indigne
ſuſcipiunt. gregori9 ſup deu· xviij·
creator omniū ꝑ incarnacōnis ſue
miſteriū iudeā viſitare dignat9 eſt
ſꝫ quia nō ꝯgnouit tp̄s viſitacōnis ſue
ideo gentib9 frequent̄ in ꝑdandata.
nouiſſime romanis tradita ē. et ve⸗
nerūt ſup eā omia gn̄a maledcōnū
q̄ in libro legis ſcp̄ta ſūt· ſilit̄ hijs q̄
grām dei ingrati accipiūt certa eſt
dampnacō· ſi eñ irritā quis faciēs
legē moyſi. ſine vlla miſeracōe mo⸗
rit̄· quāto deteriora meret̄ ſupplicia
qui filiū dei ꝯculcauerit. et ſanguinē
teſtamenti pollutū duxerit· hec ſup⸗
plicia dici poſſunt duplices plage·
p̄ma multa dāpna bonoꝝ ſpūaliū·
ſcda ſterilitas terre· ſiue cariſtia te⸗
poraliū. tercia peſtes corporū et ſtra⸗
ges hominū· De p̄ma plaga· tren· i·
manū ſuā miſit hoſtis ad omia de⸗
ſiderabilia ei9· quia vidit gētes in⸗
greſſas ſanctuariū tuū. de quib9 p̄⸗
ceperas ne intrarēt eccl'iam tuā· glō
hoſtis antiqu9 ad deſiderabilia ecc'ie
manū mittit. et ſpiritualem ornatū
aufert in mēbris ſuis fidē ꝯtaminās
baptiſma reſcindēs· id eſt gratiam

in baptiſmo datam. doctrinā corrū=
pens · corpus et ſanguinē dn̄i indig=
ne cōtractans. et vaſa p̄tioſa · id eſt
oues xp̄i q̄ſi lupus deuaſtans. et cā
tanti mali reddit̄ · quia gentes id ē
carnem amantes et xpriſti circūci=
ſionē non habentes miniſtri altaris
efficiunt̄ · De ſcd̄a plaga. deu · 28 · ſi
audire nolueris vocem dn̄i dei tui
ut facias omnia mandata eiꝰ · veni=
ent ſuper te omnes malediciones
iſte · maledictus fructus terre tue.
armenta boum tuoꝝ et greges ouiū
mittet dominꝰ ſuper te famē et eſu=
riem. et increpacōem in omnia ope=
ra tua · hee plage venient ſi audire
nolueris mandata dei. ſcꝫ p̄cipue de
corpore domini non indigne tractā=
do · p̄m illud · leui. xxi. homo qui ha=
buerit maculam peccati nō offerat
panes deo ſuo · nec accedat ad mi=
niſterium eiꝰ · geñ. iij. quia ꝯmediſti
de ligno ex quo tibi ꝓceperam ne
ꝯmederes · maledicta terra in opere
tuo · ſpinas et tribulos germinabit
tibi · De tercia plaga · i · coꝝ. xi · ꝓbet
ſeip̄m homo et ſic de pane illo edat
qui enim manducat indigne iu di=
cium ſibi manducat et bibit · id eſt
ad iudicium mortis ſe obligat · et
multi alij ꝓpter ſcelera uniꝰ ſepe fe=
riunt̄. vnde ſequitur. ideo inter vos
multi infirmi et imbecilles et dormi=
unt multi ſcilicet ſompno mortis · vel
dei verbere · vel prelatoꝝ aduerſitate ·
nūi · xi · adhuc carnes in dentibꝰ erāt
et ecce furor domini ꝯcitatus in po=
pulum percuſſit eum plaga magna
nimis · ſed ecce contra has plagas
ꝯ omnia iam dicta mala triplex re=

medium oſtendit ſcriptura · Primū
eſt emendacō vite per penitenciam
voluntariā. Scd̄m correctio malicie
per ſuperioꝝ diſciplinam · Terciū
mutacō incorrigibilis perſone ꝑ iuſ=
ticie diſtrictionē · De p̄mo · Johel. i.
depopulata eſt regio luxit humus ·
id eſt habitatores humi · quia periit
meſſis agri id eſt bona temporalia
et ſpiritualia · accingite vos et plo=
rate ſacerdotes · vlulate miniſtri al=
taris · ingredimini et cubate in ſac=
co. gloſa ſancti ſacerdotes qui ꝯme=
dunt digne paſcha · accingunt̄ bal=
theo caſtimatis · peccatores quos re=
mordet conſciencia doloris ut plan=
gant ſua et populi peccata. accingite
ergo vos ſacerdotes et miniſtri al=
taris cingulo penitentie et plangite
puro corde · vlulate in confeſſione et
oracōe · ingredimini eccleſiā ꝑ penitē=
ciā · vnde exiſtis per culpā · cubate in
ſacco. id ē delicias quibꝰ offendiſtis
ꝑ vite auſteritatē ꝯpenſate ut irā dei
poſſitis mitigare · De ſcd̄o · mal̄ · iij ·
ecce venit dn̄s q̄ſi ignis cōflans ſcꝫ
ꝑ iuſtos p̄latos · et purgabit filios
leui · id ē miniſtros altaris · et erūt
dn̄o offerētes ſacrificia in iuſticia. et
ſic vtiqꝫ placatus mitigabit̄ ira eiꝰ ·
eze · vij · iudicabo te iuxta vias tuas
ꝯ ponā ꝯtra te omēs abhominacōes
tuas · et non parcet oculus meus
ſup te et non miſerabor. glō ſic me=
dicꝰ incidit · vrit. nō pcit ut pcat ita
dn̄s · vn̄ ego pcuciā et ego ſanabo ·
et flagellat omēm filiū quē recipit ·
luce · 14 · ꝯpelle intrare. et ſic dn̄s per
iuſtos prelatos non pcit vicia cor=
rigendo · ut pcat irā ſuā mitigando.

¶ De tertio·eze·xxi. iudicabo vos
dicit domin9 et ſubitiā ſceptro meo
et eligam de vobis tranſgreſſores et
impios ſcilicet ad abitiendū qui in
malo perſeuerant. id eſt incorrigi=
biles ·dicit gloſa ut ſcilicet loco eoꝝ
iuſti reſtituantꝰ·yſa·i· conuertam
manū meam ad te et excoquā ad
purum ſcoriam tuā.et auferam om=
ne ſtangnū tuū. et reſtituā iudices
tuos ſicut fuerūt prius.et cōſiliari=
os tuos ſicut antiquitus·ſicut tem=
pore moyſi et machabeoꝝ· vocabe=
ris ciuitas iuſti·vrbs fidelꝭ·i·mach.
iiij·et cogitauit iudas de altari ho=
locauſtoꝝ ꝙ ꝓphetatum erat ꝙ de
eo faceret.et incidit illi conſiliū bo=
nū·ut deſtrueret illud ne forte eſſet
illis in obprobrium· quia contami=
nauerunt illud gentes et demoliti
ſunt illud.et poſuerunt lapides in
monte domus in loco apto quouſqꝫ
veniret ꝓpheta et reſponderet de eis
et acceperunt lapides integros ſcḋm
legem·et edificauerunt altare no=
uū ſcḋm illud ꝙ fuit prius.gloſa ibidē.
altare holocauſtoꝝ eſt fides pura·
doctrina recta·et conuerſacō bona
xpiſti miniſtroꝝ·ſed hoc altare ſi
ꝓphanatum fuerit heretica prauī=
tate·ut ſymonia.vel alia·vel ſceleꝝ
immanitate·iam deſtruendum erit.
id eſt a ſacerdocij dignitate depone=
dum·ne forte obprobrium ſit ſancte
ecclesie·ꝙ habeat prauos et facino=
roſos rectores qui dyabolica aſtutia
ſeducti ſūt.vnde domin9 ſuis diſci=
pulis ait·vos eſtis ſal terre·ꝙ ſi ſal
euanuerit in quo ſalietꝰ·ad nichilū
valet vltra niſi ut proiciatur foris et
conculcetur ab hominibus· depoſito
ergo ꝓphanato altari miſtico repo=
ni debent lapides illi in monte dom9
in loco apto·donec veniēs ꝓpheta
reſpondeat de eis. quia peccatores
redigi debent ſub penitentia· donec
per ſanctos doctores diiudicetꝰ·pro
cōmiſſo crimine ſatiſfactio perpetra=
ta.in locum autem eoꝝ lapides inte=
gri ſcḋm legem ſubſtitui debent· ut
fiat altare nouum ſcḋm illud ꝙ fuit
prius.homines fide catholica ſani·
ſcientia ſanctaꝝ ſcripturaꝝ imbuti·
bonis morib9 religioſi in locum re=
giminis vnde deciderunt preuarica=
tores ſubrogari debent ſcḋm auctori=
tates diuine legis.ut ſine reprehen=
ſione in nouitate vite et norma iuſ=
titie exhibeatur miniſterium deo in
eccleſia·quā ſibi acquiſiuit xpiſt9
ꝓprio ſanguīis ſui ſponſā nō habentē
maculā neqꝫ rugā. Amen·

De ſecundo modo manducandi ſcꝫ
ſpirituali quo boni manducant·ſer=
mo·xix·

Venite ꝯmedite panē meū·
et cetera. Accipite et ꝯmedi=
te hoc eſt corp9 meū·luce·
xij· Terci9 modus manducādi cor=
pus xpi eſt ſacramentalꝭ et ſpiritualꝭ
ſil·quo ſoli boni xpiani ꝯmunicant
et hoc facto manducant et mandu=
cantꝰ·vnde circa hunc modū tria poſ=
ſūt ꝯſiderari.pmū eſt multitudo ma=
loꝝ nō ꝯmunicantiū·ſcḋm magnitudo
felicitatis bonoꝝ corpus xpi digne
ſumentiū·tertiū racō remāducacōis
ſic manducātiū.Primū circa hunc

modū manducandi cōſiderandū eſt
multitudo maloꝝ non ꝯmunicantiū.
Cum enim triplex ſit modus ꝯmu=
nicandi vel manducandi· ſcilicet ſa=
cramentalis tantū· quo mali xpiani
et tamen non manducant· ſpūalis
tantum quo boni non manducant
et tamen manducant. ſacramental'
et ſpūalis ſimul quo ſoli boni xpia=
ni ꝯmunicant vel manducāt et mā=
ducant̄· Reſtat ad diuiſionis hui9
ſufficientiam multitudo quedā ma=
loꝝ qui nec manducant nec man=
ducantur· id eſt qui corpus xpriſti
non ſuſcipiunt· et ideo eterna morte
peribunt· Iſtoꝝ tres ſpecies ſunt
tureme. pimi infideles. ſecūdi negli=
gentes. tercij cōtemptores· Infide=
les ſunt quoꝝ corda per malitiam
ſuam fallente dyabolo ſic excecata
ſunt· ut non poſſint cognoſcere et
credere diuina ſacramenta ꝓ ſalute
mundi. mirabili ſapientia dei inſti=
tuta. Negligentes ſūt quidā xpia=
ni qui temporalib9 lucris et ſecula=
ribus negocijs intantū ſe occupant
ut ſacram ꝯmunionē tēpore debito
ſumere negligant· Contemptores
ſunt qui ſcelerib9 ſuis tanto amore
inherent ꝙ corpus domini ſumere
penitus ꝑuipendunt. De pmis· Jo·
vi· quomō poteſt hic nobis carnem
ſuam dare ad manducandū· quaſi
diceret· non credim9 ꝙ dare poſſit·
ſap· v· errauerunt impij· excecauit
enim eos malitia eorū· et neſcierūt
ſacramenta dei· Jo· iij· qui incredu=
lus eſt filio non videbit vitam· ſed
ira dei manet ſuper eum· De ſcdis·
math· xxij· miſit rex ſuos ſuos vo=
care inuitatos ad nuptias dicens.
ecce prandiū meū paraui venite ad
nuptias· illi aūt neglexerūt et abi
erūt· ali9 in villā ſuā· ali9 ad nego=
ciacōem ſuā· gloſa in villam ire eſt
terreno labori immoderate inſiſtere·
negociari vero terrenis lucris nimis
inhyare· tales qui prandiū diuini
ſacramenti negligunt ꝙuis fidem
et quedam opera caritatis habere
videant̄· tamen niſi peniteant dāp=
nabunt̄· Jo· vi· niſi māducaueritis
carnē filij hominis et biberitis eius
ſanguinē nō habebitis vitā in vobis·
ſup illud· eph· iij· oro ut poſſitis cō=
phendere que ſit ſublimitas et pro=
fundū· dicit gloſa ꝓfundū caritatis
ſunt eccleſiaſtica ſacramenta q̄ ſūt
profunda et inueſtigabilia· et ſunt
fundamentū caritatis ſine qb9 non
valet caritas· id eſt exteriora ſigna
caritatis nō valent ad ſalutē etnā
ſine ſacramentis ea negligentibus·
nūi· ix· ſiquis mūd9 eſt in itinē non
fuit· id eſt non habet impedimentū
iuſte neceſſitatis· et non fecit phaſe·
exterminabit̄ aīa illa de ꝑplis ſuis
ꝙ ſacrifitiū nō obtulit dn̄o tpe ſuo.
pctm ſuū ipſe portabit· De tercijs· pal·
xxx· ptereūt curſoēs cū eplis regis
ex regis ezechie impio ⁊ pn̄cipū ei9
in vniūſū iſrahel pdicantes· reuītimi
ad dn̄m deū vr̄m et venite ad ſctā=
riū ei9· ſcʒ ad faciendū phaſe· id ē ad
ſuſcipiendū corp9 dn̄i· et quidā viri
acq̄eſcētes ꝯſilio venerūt· alijs irri=
dentib9 et ſubſannātib9 eos· Jo· iij·
hoc ē iuditiū ꝙ lux venit in mūdū· et
dilexerūt hoīes magis tenebras ꝙ
lucē· erāt eīm eoꝝ mala opa· q̄ſi dicēt

Justo iudicio excōmunicant ⁊ condēp-
nant qui plꝰ diligunt peccatis suis
inherere ꝙ se preparare et xpristū
suscipere·canon qui pro sceleribus
suis duobꝰ vel tribꝰ annis non cō-
municant excōmunicandi sunt do-
nec penitentiā agant·luce·xiiij·ne-
mo virorū illoꝝ qui vocati sunt et
non venerūt gustabunt cenā meā·

Scdm circa hunc modum consi-
derandū est magnitudo felicitatis
bonoꝝ corpus xpristi digne sumen-
tiū·et ꝓbatur hoc a tribus·ab opti-
me partis electione·a spiritus san-
cti vera participacōne·ab ipsius xpi
circa inhabitacōne·Primo ꝓbatur
felicitatis digne ꝯmunicātiū mag-
na ex optime partis electione·quia
sicut beata virgo tribꝰ sibi ꝯpositis
scilicet esse matrē et nō virginem·
vel esse virginē et non matrē·vel eē
matrē et virginem· vltimā et opti-
mā partē scilicet esse vtrūqꝫ simul
elegit· Sic isti inter modos corpus
xpristi manducandi optimū modū
elegerunt· Primꝰ modus est mā-
ducare sacramētaliter tantū et non
spiritualiť· Scdus manducare spi-
ritualiť tantū et non sacramētaliter.
Tertius manducare sacramētaliť
et spiritualiť simul. hanc vltimā et
optimā partē scꝫ de pmo modo ꝯme-
dere sacramentaliť et de scdo modo
comedere spiritualiter eligunt· et sic
ex vtraqꝫ pte ꝙ meliꝰ est ꝯmedunt.
et ideo multū felices sunt·eccle·ij·
laudaui ergo leticiā ꝙ nō eēt homi
bonū sub sole· nisi qd ꝯmederet et
biberet atqꝫ gauderet·qsi diceret·
expertus sū plurima gnā gaudioꝝ et
delectacōnū carnis et mundi·et hec
omīa vanitas et error.et finis eoꝝ
meror et luctꝰ·vn̄ laudaui p̄ omībꝰ
leticiā scꝫ verā·i·testimoniū bone cō-
sciencie·et ꝙ nō eēt homi bonū sub
sole·i·meliꝰ in hoc mūdo·nisi ꝙ cō-
mederet scꝫ panē q̄ de celo descendit
id ē corpꝰ xpi·et biberet scꝫ vinū ꝙ le-
tificat cor hominis·i·sanguinē dn̄i

Scdo ꝓbať felicitas istoꝝ magna
a spūs scī vera pticipacōe·ps de petra
melle saturauit eos·qꝫ scꝫ fideles su-
gūt de corpe xpi dulcedinē spūs scī.
sap·xij· o ꝙ bonꝰ et suauis est dn̄e
spūs tuꝰ in nobis·q̄ scꝫ fluit in nobꝭ
de tuo corpe.augꝰ pceptōne corporis
et sanguinis xpi hō viuit·nō sumēs
tm̄ sacramētaliť ꝙ et mali faciūt.sed
ptingēs vsqꝫ ad spūs pticipacōeꝫ ut
in corpe deo tamqꝫ mēbrū maneat
et eiꝰ spiritu vegeteť. Tercō ꝓbať
idem ab ipiꝰ xpristi circa inhabita
cōne· Jo·vi· qui manducat carnē
meā et bibit meū sanguinē. in me
manet et ego in eo·hylariꝰ accepta
carne domini et hausto sanguine.
id efficiť ut nos in xpristo. et xpus
in nobis sit·et in nobis xps p carnē
dum eiꝰ carnē accipimꝰ·et sumꝰ in
eo dum secū hoc ꝙ nos sumꝰ in deo
est. Terciū circa hunc modū consi
derandū est racō remanducacōnis
digne manducantiū id ē qua racōe
dicať ꝙ tales manducant et man
ducanť·et hec est hm̄oi racō· ꝙ dū
corpꝰ xpristi a fidelibꝰ digne man
ducať·non ipm ut aliꝰ cibꝰ in man
ducante ꝯuertiť·sed econuerso·vere
manducās in illud spiritualiť mu
tatur·nam manducantē se dn̄s sui

coꝛpoꝛis membrū facit et ſibi incoꝛ=
poꝛans per caritatem vnit· et yma=
gini bonitatis ſue ſimilem efficit·i·
coꝛ·x· vnū coꝛpus multi ſum9 qui
de vno pane participam9. Itē. coꝛ·
xij. vos eſtis coꝛp9 xp̄i ⁊ membrū de
mēbro· quod vero manducando coꝛ=
pus xpriſti non illud in nobis· ſed
nos in illo cōuertimur· triplici ſimi-
litudine ꝓbatur· Prima ſumit̄ de
virtute noſtri amoꝛis· Secūda de vir=
tute dei maioꝛis· Tercia de virtute
ſurculi arboꝛis. Prima ſimilitudo
ſumit̄ de virtute amoꝛis noſtri· hec
eſt enim vis amoꝛis transfoꝛmatiua
coꝛ amantis in amatū· id eſt amati
foꝛtune proſpere et aduerſe aſſilātí·
eccle· i· amicus fixus id̄ fidelis , erit
tibi coequalis id eſt condolet tibi in
aduerſis· et cōgaudet in proſperis·
Hugo ea vis amoꝛis eſt ut talem
te eſſe neceſſe ſit· quale illud eſt ꝙ
amas· ut cui per affectum ꝯiūgeris
in illi9 ſimilitudinem ip̄o q̄dāmodo
dilectionis ſocietate transfoꝛmaris·
cant̄· viij· pone me ut ſignaculū ſup
coꝛ tuum· ſuper coꝛ tamq̄ ſuper cerā
calidam puram et mollem · aptam
ſuſcipere impreſſam ymaginē· ſuper
coꝛ ergo calidum amoꝛe dei· purum
mundicia· ſui molle pietate ꝓximi.
coꝛp9 xpriſti ut ſigillum ponitur· nō
ut ipſum ꝙ immutabile eſt in nos
mutetur· ſed nos in ymaginē boni=
tatis eius tranſmutemur. Secūda
ſimilitudo ad idem ſumitur de vir=
tute dei maioꝛis· Nam ſi ad guttā
aque magnū vas vini fundat̄. vic-
tute multitudis vini aqua ex toto
in illud mutatur· Sed virtus do=

minici coꝛpoꝛis ineffabilis eſt mag=
nitudinis· et nos multū exigui re=
ſpectu illi9· pſalmiſta· magnus do=
min9 et magna virtus ei9 et mag=
nitudinis eius non eſt finis. Idem·
ſubſtantia noſtra tamq̄ nichilum
ante te· pſa· xl· ecce gentes q̄ſi ſtilla
ſitule· magnitudo itaq; virtutis et
dulcedinis xpriſti infuſa exiguo et
humili coꝛde noſtro vincit illud et a
ſe deficere facit · et in illā cōuertit·
ut iam non mundanis homib9 · nō
nobipſis· ſed ipſi xpriſto in volun=
tate· ſermone· et bona cōuerſacōne
ſimiles ſimus· pſal· defecit in ſalu=
tari tuo anima mea· Tertia ſimili=
tudo ad idem ſumitur de virtute ra=
mi arboꝛis· Hec eſt enim ꝓprietas
ſurculi bone arboꝛis· ſi trunco inſe=
ratur etiam ſilueſtri ꝙ naturali vir=
tute p̄ualens illi9 amaritudinē in
ſuam dulcedinē et nobilitatem cō=
uertit· et ſimilem ſibi fructū bonū
ꝓferre facit· Hic coꝛpus xpriſti no=
bis inſitum defectus noſtros eua=
cuat et in ſuam nos bonitatem tra=
hit· et quales ip̄e frondes· floꝛes et
fructus iuſticie facit· tales et nos
per eum faciam9· hinc ſpiritus ſan=
ct9 dicit· ezech· xvij· ſumam de me=
dulla cedri ſublimis· et de v̄tice ra=
moꝝ ei9 · ⁊ plantabo in mōtē excelſū
et erūpet in germen et faciet fructū·
cedr9 ſublimis ē de9 pat̄· rami emi=
nētes antiq̄ p̄res· vertex ramoꝝ btā
v̄go· medulla cedri et̄na ſapiā dei·
p̄s de ramoꝝ v̄tice caro xp̄i ſūpta de
v̄gine· ſp̄us ergo ſcūs medullā cedri
⁊ p̄tē de ſūmo ramo ſūpſit ꝙ xp̄i in=
carnacōem fecit· et hunc q̄ſi ſurculū

nobiliſſimū plantat in montem ex-
celſum cum fidelibus a terrenis de-
ſiderijs ad celeſtia eleuatis dominicū
corporis tribuit ſacramentum. Hinc
fructus erumpit. quia cor fidele vir-
tute corporis domini ꝓpria amari-
tudine relicta vicioꝝ. ſiles xpriſto
ſpirituales frondes. flores et fructꝰ
virtutum et bonoꝝ operū facit. Hinc
dictum eſt auguſtino. cibꝰ ſū gran-
dium. creſce et manducabis me. nec
tu me mutabis in te ſicut cibū car-
nis tue. ſed tu mutaberis in me. cant.
ij. trahe me poſt te. me ſcꝫ mutando
in te violentia mee delectationis.
magnitudine tue dulcedinis. virtu-
te firme inſerc̄ōnis. ut non maneat
in me radix amaritudinis. ſed pre-
ualeat operādo in me virtus et dul-
cedo tue bonitatis. gal. vi. viuo ego
iā non ego. viuit autem in me xp̄s.
quaſi diceret. nūc ut vixi male non
viuo. ſed ut xpriſtus. bene cogito.
loquor operor et viuo donec ad ip̄m
puenio. Amen.

De duodecim effectibꝰ corporis xp̄i
contra duodecim languores. thema
ſpeciale. ſermo. xx.

Venite comedite panem meū
⁊cetera. ut ſupra. Pater
meus vſqꝫ modo operatur
et ego operor. Jo. v. Item aliud. al-
tiſſimꝰ de terra creauit medicinam.
eccle. 38. Item benedictus fructus
ventris tui. luce. i. Item aſcendam
in palmam id eſt in crucem et app̄-
hendam fructus eiꝰ. cant. vij. Sex-
tum principale circa ſacramentum

dominicū corporis notandum eſt ef-
fectus bonitatis eiꝰ ſiue virtus ſpi-
ritualis. Nam quia parentes p̄mi
puenti a deo pomi guſtum corrupti
multas infudere miſerias ſuo gene
ri neceſſarium fuit medicamēto ſal
uatoris miſeris ſubuenire. Circa qđ
ſciendum quod noſtre miſerie tres
ſunt generales. ſcilicet vincula cul
pe. defectus gratie. et mortis plage.
De p̄mo. p̄s. funes peccatoꝝ circū
plexi ſunt me. ij. paral. in fine. in
curuatus ſum multo vinculo ferri
id eſt peccati. De ſc̄do. p̄s. impfectū
meū viderūt oculi tui. Item anima
mea ſicut terra ſine aqua tibi. id eſt
arida et ſterilis. ſine fluentis gratī
et germine tritici. De tercō. p̄s. cir
cumdederūt me dolores mortis. Itē
amoue a me plagas tuas. Job. xvi.
hoſtis meus irruit in me quaſi gy-
gas occīdit me vulnere ſup vulnꝰ.
in quatibꝫ iſtaꝝ triū miſeriaꝝ gn̄a-
lium intelligunt q̄tuor mala ſpeci-
alia. quaſi duodecī languores ſpeci-
ales. ad q̄s curādos ordinant duo-
decī dn̄ici corpis fructꝰ ſiue effectus.
apo. xxij. oſtendit michi angelꝰ lig-
nū vite afferēs fructꝰ duodecī p ſin-
gulos menſes. i. ad curandos nr̄os
duodecī defectus ſiue languores. p̄s.
bn̄dic aīa mea dn̄o. q̄ ꝓpiciat oibꝰ
iniq̄tatibꝰ tuis. Iſti duodecī lāguo-
res et fructus depingunt in duabꝰ
figuris q̄ſi arboribꝰ. qui ſanat oēs
infirmitates tuas. et poſt hoc de q̄-
tuor lāguoribꝰ p̄mis et de quatuor
fructibꝰ dicit et de alijs in ſequenti.
Prima mala nr̄a ſiue lāguores ſūt
q̄ſi vincula culpe q̄bꝰ multe ſtrīgunt

anime·ſcꝫ demonis temptacō·fomi=
tis repugnacō· cordis macula·cre=
atoris offenſa. Contra hec quatuor
valet fructus virginis· corpus ſal=
uatoris· De pmo languore· eph·vi·
induite vos armatura dei ut poſſitis
ſtare aduerſus inſidias dyaboli·
eccle·xi·multe ſunt inſidie doloſi·q̄
ſcꝫ de diuerſis vicijs et multis mo=
dis temptat· i.petri·v·vigilate quia
aduerſarius veſter dyabolus tanq̄
leo rugiens circuit querens quem
deuoret·gloſa circuit tanq̄ hoſtis·
clauſos obſidens muros· explorat
an ſit aliqua pars murorꝫ minus
ſtabilis· cuiꝰ aditu ad interiora pe=
netret·offert oculis formas illicitas
et forte facies voluptuoſas ut viſu
deſtruat caſtitatem·aures p canora
temptat.ut xpianū molliat rigorē.
linguam conuitio prouocat.manus
iniurijs inſtigat·honores terrenos
promittit ut celeſtes adimat· pſal.
perſecutus eſt inimicus animā meā
humiliauit in terra vitam meā. De
ſcdo·gal·vi.caro concupiſcit aduer=
ſus animā.ro·vij· video aliā legem
in membris meis repugnantē legi
mentis mee·auguſtinꝰ aliā legem
id eſt fomitem peccati in membris
meis·vt in oculo ad concupiſcendū·
in lingua ad maledicendū·in manu
ad malefaciendum·et ſic de alijs re=
pugnantem legi mentis mee·id eſt
legi dei et racōni·fomes iſte peccati
qui eſt in carne et repugnat menti·
recte dicit lex quia legittime factū
eſt vt qui non obediuit ſuo ſuperi=
ori·ei non ſeruiat ſuum inferius·id
eſt caro.ſupra te eſt deꝰ·infra te eſt

caro tua ſerui ergo ſuperiori vt ſer=
uiat tibi inferior contempſiſti ſupe=
riorem iuſte torqueris ab inferiori·
De tercō. Jere·ij· ſi laueris te nitro
tamen maculata es iniquitate tua
coram me. prū.ix·quis poteſt dicere
mundum eſt cor meum purus ſum
a peccato·eccle·vij. non eſt homo
iuſtus in terra qui faciat bonū qui
non peccet·eccle.xliij· de ſalomone·
dediſti maculam in gloria tua. De
quarto·deu·ix·memento et ne obli=
uiſcaris quomodo ad iracundiā pro=
uocaueris dominū deum tuū.⁊ q̄n=
to maior erat culpa· tanto maior
contra peccatorem ira diuina. zach·
i·ego iratus ſum parū quidā autem
adiuuerūt in malū· Sciendū q̄ ira
dei dicit nō aliquis motus vel per=
turbacō animi·que illi omino non
accidit.ſed iuſta vlcō quā delinquē=
ti reddit·et hec eſt in peccatore·ad
minꝰ remorſus conſcientie·eccle·x·
qui diſſipat ſepem mordebit eū co=
luber.ſepes eſt omne pceptū dei·co=
luber vindicta ire dei.augꝰ iuſtitia
dei non ſinit eſſe dedecus culpe abſqꝫ
decore vindicte. ¶ Contra hec mala
quatuor ordinantur quatuor domi=
nici corporis fructus pmi. qui nos
liberauit a vinculis culpe·demonem
fugat·fomitem refrigerat·maculā
cordis mundat·iram dei placat· De
pmo fructu·thob·vi·ſi cordis piſcis
particulam ſuper carbones poſue=
ris fumus eiꝰ extricat omne genus
demoniorꝫ· flumen in quo piſces ſūt
mūdū·omēs piſces eius diuſa gnā
hoim·piſcis ille magnꝰ gentō iude=
orꝫ·cor piſcis q̄ſi mēbrꝫ nobiliſſimū

et exquo vita ꝓcedit beatam virgi-
nem· particula cordis ſignificat cor-
pus de virgine ſumptū ſaluatoris·
hoc debet ſuper carbones poni· id eſt
fidelibus accenſis amoris igne do-
nari· tūc fum⁹ ei⁹· id eſt virtus ſpi-
ritualis fugat temptacōnes demo-
nis· ps̄ exurgat deus et diſſipentur
inimici eius et fugiant qui oderunt
eum a facie ei⁹· De ſcd'o fructu. pſal.
ſelmon mons dei eſt xpriſtus. Sel-
interpretatur umbra· xp̄s ergo eſt
umbra noſtri refrigerij· ut dicit glō
De corpore xp̄i manat umbra gratie
que nobis defenſaculū eſt cōtra in-
centiua viciorꝫ et carnalis cōcupiſ-
centie· unde dictum virgini· virtus
altiſſimi obūbrabit tibi· umbra em̄
fit de corpore et lumine· lumen eſt
verbum dei· corpus caro xpriſti· ac-
ceſſit lumen corpori id eſt verbum
carni· verbum em̄ caro factū eſt· dū
ergo fidelis corpus xp̄i ſumit· ſpiri-
tuale refrigeriū ꝑcipit· quaſi de um-
bra gratie que de ip̄o fluit· oſee· xiiij·
ego quaſi ros et iſrahel germinabit
quaſi lyliū. De tercō fructu· yſa· vi·
volauit ad me un⁹ de ſeraphyn ⁊ in
manu ei⁹ calculus quē forcipe tule-
rat de altari et dixit· ecce tetigi hec
labia tua. et auferet̄ iniquitas tua
et peccatū tuum mundabitur· lapis
iſte p̄tioſus ſumptus de altari ſig-
nificat corp⁹ xpriſti· dum eo os cor-
dis tangitur· peccatū veniale mun-
dat̄· Gregori⁹ domin⁹ dedit nobis
ſacramentū ſalutis ut q̄a cottidie
peccam⁹ et ille iam mori pro pecca-
to non poteſt· per hoc remiſſionem
conſequamur· De quarto· ꝓū· xxi·
munus abſconditum extinguit iras
leui· ij· ſi de craticula fuerit oblacō
ſimilia conſperſa oleo tollit imme-
moriale de ipſo et adolebit ſuper
altare in odorem ſuauitatis domino
panis in craticula coctus et oblatus
et ꝯſperſus oleo xpriſtus eſt in cru-
ce pro nobis paſſus et totus unct⁹
ſpiritu ſancto hui⁹ ſacrificij memo-
riale eſt hoſtia eccleſie que offertur
in memoriam paſſionis dominice
hec debet ſuper altare adoleri id eſt
accendi. quia in corde fideli cum fer-
vore deſiderij et deuocōnis ſuſcipi.
hic odor ſuauitatis eſt dn̄o id eſt tā
grata deo ut ob eius gratiam iram
ſuam remittat et nos ſibi recōcilet
et ad eternā pacem ꝑducāt. Amen.

¶ De quatuor fructib⁹ ſcd'is. thema
ꝑrium· ſermo· xxi.

Venite comedite panem meū
⁊ cetera· ut ſupra· Secūda
quatuor mala noſtra ſiue
languores ſunt quaſi defect⁹ gratie
quib⁹ multe laborant anime. ſcꝫ de-
fect⁹ in cognicōne nr̄i· in dilectione
ꝓximi in ſapore ſp̄uali· in ꝯſeruacōe
boni· Contra hec valet fructus vir-
ginis corpus ſaluatoris· De primo
languore· geñ· i· tenebre erant ſuper
faciem abyſſi quaſi ab antiquo cor
hominis obuolutū fuit ignorantia
ſui· Jere· xiij· prauū eſt cor hominis
et inſcrutabile quis cognoſcet illud
ps̄· delicta quis intelligit ab occul-
tis meis munda me et ab alienis
parce ſeruo tuo. et ab alienis qui-
b⁹ alios peccare feci vel aliorꝫ pctīs

cōſenſi·math·vij·quid vides feſtu-
cam in oculo fratris tui. et trabem in
oculo tuo non vides· De ſcdo math·
xx. Quoniam ſuperhabundauit in-
iquitas refriguit caritas multorū·
eccle·xliij· Frigidus ventus aquilo
flauit et gelauit criſtallus ex aqua·
Defectus amoris probatur ab exte-
rioribus ſignis·i·Jo·iij· Qui habu-
erit ſubſtantiam hui9 mundi et vi-
derit fratrem ſuum neceſſitatē pa-
cientem·et c·viſ·ſ·ab eo·quomō ca.
dei·m·in eo· Jere·ix· vnuſquiſqȝ a
proximo ſuo ſe cuſtodiat. et in omī
fratre ſuo non habeat fiduciam·qꝛ
omnis frater ſupplantans ſupplan-
tabit. et omnis amicus fraudulen-
ter incedet et vir fratrem ſuum deri-
debit et veritatem non loquetur· ꝓū
xx·pondus et pondus menſura et
menſura· vtrumqȝ abhominabile
eſt apud deum· gloſa diuerſum pō-
dus. et diuerſam menſuram habet
in domo ſua· ut aliē ſibi· aliē prox-
imo noceatur· qui ni ſuis ſemper
actibus que laudentur in proximis
que vituperentur querit·ſed et qui
in temporalib9 ſibi maiorem·ꝓximo
minorem menſuram dare ſtudet·qꝛ
defectum dilectionis habet deo diſ-
plicet· Similiter eſt de eo qui malo
verbo vel facto proximū contriſtat.
ledit vel dampnificat. De tercō· Jē.
xxxi·omis qui ꝯmederit vuam acer-
bā obſtupeſcent dentes ei9·gregori9
quid eſt vua acerba niſi peccatum·
vua quippe acerba eſt fructus ante
tempus·quiſqȝ ergo preſentis vite
delectacōnib9 ſaciari deſiderat quaſi
fructus ante tempus ꝯmedere feſti-

nat·ſed qui vuā acerbā ꝯmedit dē-
tes ei9 obſtupeſcent·qꝛ q̄ p̄ntis mū-
di delectacōib9 paſcit·intēri ſenſus
ei9 ligant·ut iā ſpūalia ſapere neq-
ant. hoc figuratū ē.nūi·xi·in populo
iſrahel q̄ in egipto carnib9 cū alleo
et cepis ſaciatus fuerat·et poſtea in
deſerto talia ꝯcupiſcēs·panē celeſtē
ſcȝ māna dulciſſimū cū nauſea re-
ſpiciebat·i·coꝛ·ij·aīalis homo non
percipit ea que ſunt ſpūs dei· aug9
aīalis dicit carnalis homo· qui fert
diſſoluta laſciuia aīe ſue·qm̄ intra
natural ordinis metas ſpūs rector
non ꝯtinet eo qꝛ ipē deo regendū ſe
nō ſubicit·talis ſpūalem dulcedinē
nō ſapit. De q̄rto·gal·iij·ſic ſtulti
eſtis ut cū ſpū ceperitis in carne cō-
ſūmami·ꝓū·ij·relinquūt iter rectū
et ambulant per vias tenebroſas.
luce·viij. qui ſupra petram hij ſunt·
qui cū audiunt verbum cū gaudio
ſuſcipiūt·ſed radicem nō habent ſcȝ
ſtabilitatem firme voluntatis·quia
ad temp9 credūt·et in tp̄e tēptacō-
nis recedūt·cant·vij·mane ſurga-
m9 et videam9 ſi floruiſſent vinee·
ſi flores fructū ꝑturiunt· gloſa·nō
eſt intuendū ſi vinea floret·ȝ ſi flo-
res ad partū fructuū ꝯualeſcūt·qꝛ
nō mirꝫ ē ſiq̄s bonū inchoat·ȝ val-
de mirabile ē ſi intencōe bona in bo-
no opere perſeuerat· Contra hec
q̄tuor mala quatuor ſcdi fruct9 cor-
poris dn̄i·qui nos hic in gratia ꝑſi-
ciūt· Intellectū eīn ad ſe ꝯgnoſcen-
dum illuminant·voluntatem ſiue
affectum in dilectione ꝓxim inflā-
māt·memoriā ſpūali dulcedine de-
lectāt·et totū hoiez in bono ꝯfirmāt.

¶ De p̃mo fructu. pu͛. xxiiij. comede
fili mel quoniã bonũ eſt. mel eſt ſa=
pientia dei incarnata in cibũ dulcẽ
nobis p̃parata. hoc bonũ eſt ad ſpi=
rituale medicinã. q꜡ illuminat mẽ=
tem. i. re. xiiij. vidiſtis q꜡ illuminati
ſunt oculi mei. eo ꝙ guſtauerĩ pau=
lulũ de melle. yſa. vij. butirũ et mel
manducabit omnis qui relictus fu=
erit. ut ſcꝫ ſciat reprobare malũ et
eligere bonũ. p̃s. dominꝰ illuminacõ
mea et ſalus mea. accedite ad eũ et
illuminamĩ ſcꝫ ad ↄgnicõez nrã. pu͛.
xx. lucerna dñi ſpiraculũ hominis
que inueſtigat omĩa ſecreta ventris
ſpiraculũ eſt illuminacõ a dño data
homĩ ad ↄgnicõez ſui. vñ glõ. diuini
afflatus illuĩnacõ cũ in mentẽ hoĩs
veneit eã ſibimet ipĩ illuĩnans oſtẽ=
dit. que ante cogitacões prauas et
potare poterat. et p̃ſare bona neſci=
ebat. De ſcd̾o fructu dicit̃. yſa. vi. q꜡
angelꝰ tulit calculũ de altari et teti=
git eo os yſaie. calculꝰ ẽ carbunculꝰ
ſic dictꝰ. q꜡ ignitus ut carbo. et ſig=
ficat corpꝰ dñi de altari ſũptũ et ca=
ritate inflãmatũ. ꝙ accendit amore
corda fideliũ. p̃s. ignis a facie eiꝰ ex=
arſit carbones ſucceñſi ſunt ab eo.
cãt. viij. lãpades eiꝰ lãpades ignis
atqꝫ flãmaꝝ. q꜡ intus ardent dei et
ꝓximi dilectione. et exteriꝰ lucent
opibꝰ miſericordie. ¶ De t̃cio fructu
p̃s. guſtate et videte qm̃ ſuauis eſt
dñs. eccle. xlix. memoria ioſie in cõ=
poſicõne opis fcã opꝰ pigmẽtarij. in
oĩ ore q̃ſi mel ĩdulcabit̃. Joſias qui
ĩt̃ꝑpretat̃ fortitudo dñi ſig̃ficat xp̃m
dicit glõ. memoria xp̃i. i. ſacramẽtũ
corpis eiꝰ. qd̾ in memoriã ſui iuſſit
cõſecrari. opus eſt odoriferũ veri pig=
mentarij. id eſt ſpiritus ſancti. qui
illud ↄpoſuit de p̃ciosis ſpeciebꝰ ſcꝫ
de carne virginali et ſapientia dei.
hoc quaſi mel in ore cordis indulca=
bit̃. ſi virtus eiꝰ in ſalutẽ humani
gñis pie cogitatur. cant. ij. ſub vm=
bra illiꝰ quẽ deſiderabã ſedi. ⁊ fructꝰ
eius dulcis gutturi meo. p̃mo fidelis
aĩa xp̃m deſiderat. eſtuat ſpiritu et
ſitit. ſcd̾o vmbrã refrigerij in fructũ
optinẽdi ſentit. tercĩo ſedet expectat
orat. ut ſe totũ ad ipſaꝫ reficiendã et
viuificandã fructꝰ infundat. q̃rto p
infuſã eiꝰ dulcedinẽ ſuauit̃ guſtat.
Sꝫ dicit aliq̃s. ecce ſepiꝰ ut poſſum
me p̃paro. corpꝰ dñi ſumo. ſed nichil
ſencĩo ſolacij ſpecial̃. nil ſpũal̃ dul=
cedinis. Reſpõdeo. cibꝰ iſte ſiue fru=
ctus medicina ẽ hoĩs. vñ ſic me=
dicus peritꝰ qñqꝫ q̃buſdã dat medi=
cinã dulcẽ palato corpis et qñqꝫ nõ.
ſed palato mentis. que q̃uis non
gutturi. tamẽ bene ſapit racõi. ꝓ eo
ꝙ dũ ſanat mentẽ delectat. ſic dñs
dat ſuis fidelibꝰ dulce ſemꝑ corpꝰ.
ſed dulcedinẽ ſuam alio modo illis
oſtendit. ꝓut cuilibet expedire no=
uit. hinc eſt ꝙ quidã dulcedinẽ illã
ſapiunt per affectũ. et ardencĩori de=
lectant̃ deuocõe. et alij eandem dul=
cedinem ſapiunt per intellectum. et
ſufficienti reficiunt̃ vtilitate. in eo
ꝙ credunt et intelligunt. per hunc
cibum ſanctũ veram vitã obtinere.
Igit̃ q̃uis nõ ſapis dulcedinẽ dñi.
p̃mo modo id ẽ p affectũ intime de=
uocõis ſapis tñ ſcd̾o mõ ſcꝫ p intel=
lectũ multe vtilitatis. De p̃mo. yſa.
lv. audite audientes me et comedite

bonū et delectabit̄ in craſſitudie aīa
vrā. ambro· panis candidiſſie habēs
oē delectamtū ⁊c̄· De ſcdo eſt illud·
fructꝰ eiꝰ dulcis gutturi meo· i· pie
et fideli mēti. q̄ credit ⁊ intelligit hūc
cibū ſcm̄ eē ſibi vtiliſſimū. vñ gloſa
dulcis fructꝰ gutturi cordis q̄ꝛ in eo
intelligit aīa cām vite dū etiā corpo=
ralit̄ pcipit. hec dulcedo valet ꝯtra cūa
mala q̄ ſūt in mūdo· req̄re ſup̄ in ſ=
mone· xix· poſt mediū· De q̄rto fru=
ctu· p̄s panis cor hoīs ꝯfirmat· q̄ꝛ ſcꝫ
corpꝰ xp̄i fideles ſuos in vita ſua fi=
nalit̄ ꝯfortat· iij· re· xix ꝯmedit he=
lyas panē quē ſibi angelꝰ miſtra=
uit· ⁊ ābulauit in fortitudie cibi illiꝰ
xl· diebꝰ ⁊· xl. noctibꝰ vſqꝫ ad mōtē
dei oreb· oreb intp̄retat̄ mēſa· mons
gᵒ iſte ē mēſa dei· et ſignificat ſacietatē
celeſtis glē. panis vtiqꝫ corpis xp̄i
ꝯfortat nos in vita bona ⁊ bono ope
xl· diebꝰ et noctibꝰ· i· toto tpe pn̄tis
vite vſqꝫ ad montē et mēſam dei· i·
q̄uſqꝫ pueiamꝰ ad altitudinē ſecu=
